





habent : *Da, et dimitte illam, q. d.* Da illi libellum ut eam ableges. Tigurina et Vatablus : *Fac eam abscindas a corpore tuo; da* (libellum repudii), *et eam repudia.*

Nota: Olim apud Judæos licebat maritus dare libellum repudii uxoribus, aliamque ducere; per libellum enim repudii solvebatur vinculum matrimonii (unde Græca habent, *διδίωσκον*, id est, dissolve), uti ostendi *Deuter. xxiv, 1*; libellum autem hunc dare poterant ob improbos mores uxoris, si scilicet esset rebellis, contumax, incorrigibilis: Christus autem hunc libellum sustulit, *Matth. xix*, initio, tantumque viris permittit divortium tori

(puta, uxores dimittere e domo), idque ob solam fornicationem, ut, ea dimissa, aliam ducere non liceat.

Porro, Siracidi contrarium consilium dedisse videtur Ben-Sira; rogatus enim de mala uxore dimittenda, respondit: « Os quod cecidit in sorte tua, rode; » quare alius est Ben-Sira a Siracide, uti in Prologo ostendi. Quanquam hac in re conciliari possint, ut non sint contrarii, nimirum: « Os sortis tuæ rode, » si illud rodere queas; sin autem, abjice illud: nimirum, si uxor corrigi aut tolerari possit, retine eam; sin autem incorrigibilis et intolerabilis evadat, dimitte illam.



